



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**S. Augustinus, Episcopus in Africa Hipponensis, Veritatis
Evangelico-Catholicæ In Potioribus Fidei Controversiis
Testis Et Confessor, Contra Bellarminum Et Alios
Scriptores Papæos, antiquos pariter & ...**

Reiser, Anton

Francofvrti, 1678

Liber Primvs

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72506](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72506)

giæ ordinem ab Authore illo, quem dixit rapsodum, non fuisse observatum, quem tamen sæpè dictus Glossator defendere & qualitercunque in ordinem redigere est conatus, nobis & hic ad hominem disputantibus, adque præsens Institutum contra Antiquitatis pariter & Unitatis jactatores gloriosos notantibus, alium Augustini, Paschasis, Algeri, Gratiani, Lombardi, Glossatoris Seculo vel Seculis fuisse ordinem Liturgiæ Missaticæ, alium hodiè. En Unitatem ! En Antiquitatem ! Sed Missam facimus tandem aliquando Missam, & Lectoribus studiosis dicamus, Ite, Missa est, vel fuit.

Controversiæ Generalis Quartæ

DE

SACRAMENTO POENITENTIAE,

LIBRI PRIMI

CAPVT DECIMVM ET VNDECIMVM,

de Quæstione,

An Pœnitentia sit Sacramentum propriè sic dictum ?

Quæ in antecedentibus circa depulsionem calumniarum & mendaciorum (quæ ex Lutero & Chemnitio aliisque numero satis magno collegit Bellarminus, ipse ut plurimum calumniator mendacissimus) occurrit Augustini hic & ibi mentio, quia in ipsâ Quæstionum controversiarum tractatione recurrit, ad eas meritò etiam, ne eadem læpius non sine fastidio Lectoris sint repetenda, referatur, primum hic occupante locum Controversiâ, *An Pœnitentia sit Sacramentum propriè sic dictum*, ex Augustini Sententiâ nimirum, de quâ præsertim hic agitur ? Ut id demonstret, post aliorum Ecclesiæ Doctorum tria Augustini testimonia producit, è quorum numero primum hoc est : *Annon cogitamus, cum ad periculorum pervenitur extrema, nec ulla est fugiendi potestas, quantus in Ecclesiâ fieri soleat ab utroque Sexu atque ab omni etate concursus, aliis Baptismum* Epist. 130. ad Honor. *flagrantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam ipsius Pœnitentiæ actionem, omnibus consolationem & Sacramentorum consecutionem & erogationem ? Et paulò post : Si adsint Ministri, alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli communionem Corporis Domini fraudantur.* Lib. V. de Bapt. c. 20 *cundum : Si ad hoc valet, quod dictum est in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem vel super Aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiâ, vel super capita eorum, quibus imponitur manus.* Addit Bellarminus loco Glossæ, ubi per manus impositionem intelligit ordinationem & reconciliationem; nam pœnitentium reconciliationem vocari ab Augustino manus impositionem, multis probari posset testimoniis, sed in præsentem unum & alterum sufficiat. Eodem in libro ita scribit : *Manus redeunti ab hæresi propterea imponitur, ne extra omnem culpam fuisse videatur &c.* Et alibi, verba Psalms, *Qui sanat contritos cor-* cap. 23. in *de, & alligat contritiones eorum, explicans inquit : Quæ sunt ista alligamenta ? Tempora-* Psal. 146. *lia Sacramenta, & exempla ponit Eucharistiæ, & impositionis manus, quæ per Præpositum peccatores reconciliantur.* Tertium Augustini testimonium esse vult, quo Eum apertissimè dicit reconciliationem cum Baptismo conferre, sub initium demonstrationis Lib. 1. de *professus, modis præcipuè duobus intelligi posse, quæ fuerit hæc de re Patrum, & ita etiam Au-* adult. cont. *gustini Sententiâ, uno quidem, cum vera enumerantes Sacramenta Pœnitentiâ iis adjun-* jug. c. ult. *gunt ? altero autem, cum Pœnitentiâ cum Baptismo conferunt ac docent, in utroque Sacra-* & lib. II. *mento Deum esse, qui potissimum operatur.* Quia verò Bellarminus facillè potuit prævide- cap. 6. *re, hanc demonstrationem non fore omni ex parte liquidam omnibusque sufficientem, idè de aliâ magis validâ & plus inferente fuit sollicitus, provocans ultimò ad testimoni-* *um Ecclesiæ Latinæ & Græcæ, quæ ab Annis quingentis floruit; his enim in totâ, inquit,* *Ecclesiâ Sacramentum Pœnitentiæ inter Sacramenta verè ac propriè dicta numeratum esse,* *nullo*

nullo negari potest modo. Satis enim id constat tum ex Lombardo, quem omnes Theologi posteriores sunt secuti, tum ex decreto Lucii Papæ, & ex definitione generalium Conciliorum, Florentini & Tridentini, quibus Catholici omnes libenter parent, tum denique ex responsione Hieremia, Archi-Episcopi Constantinopolitani ad Germanos, aperte docentis, Ecclesiam Græcam inter vera Sacramenta numerare Sacramentum Pœnitentiæ. Atqui melius & ad jactatæ Antiquitatis gloriam conducibilis fuisset, si Bellarminus ad quingentos ab Apostolorum ætate annos pro hujus Sacramenti propriè dicti denominatione potuisset provocare, plus nimirum valentes, quàm hos posteriores, id quod etiam prævidit, dum se non ignorare scripsit, nihil eos fieri ab adversariis, nec immeritò, dum quinque seculis hic terminus duplicem ante se habet numerum, quingentos videlicet annos bis numeratos, id est, decem secula, ex quibus nullum testem idoneum proferre potuit Bellarminus, Pœnitentiam inter Sacramenta propriè sic dicta referentem. Quæcunque enim vel ex aliis antiquioribus Ecclesiæ orthodoxæ Patribus, vel ex Augustino in specie laudavit testimonia, ut ostendat, Pœnitentiæ cum cæteris adjungi Sacramentis, & in specie cum Baptismo comparari, eam Sacramenti propriè sic dicti denominationem non extorquent, quam Bellarminus hic intendit, quin eam Augustini & aliorum ante & post Eum seculo incognitam fuisse, certius est, quàm ut dubitari possit de eo, secundum ea, quæ de Sacramenti nomine & numero supra fuerunt ex Augustino demonstrata. Et ut de citatis ex Augustino testimoniis ex abundanti aliquid dicatur, in primo certum est, Augustinum & reconciliationem & ipsius Pœnitentiæ actionem, quæ inter se tanquam duo diversa distinguit, posuisse quidem inter Baptismum & Sacramentorum consecrationem; per hanc tamen non nisi communionem corporis & sanguinis Domini intellexisse, quod ex proximè sequentibus verbis ab ipsomet Bellarmino laudatis est perspicuum & hinc ab utraque parte indubium. Quod verò Pœnitentiæ & reconciliationem inter Baptismum & Eucharistiam posuit mediam, non alià id factum est de causâ, quàm cujus respectu hodiernum in libellis Evangelicorum Catecheticis, eodem ordine observato ut plurimum de usu potestate & ministerio clavium agitur post caput de Baptismo & ante caput de Eucharistia, quia post Baptismum peccantes ad Eucharistiam non nisi præviis Pœnitentiæ documentis admitti solent, etsi Pœnitentiæ pro Sacramento propriè & in rigore sic dicto non habeatur. In secundo autem testimonio, etsi Augustinus præter Baptismum & Eucharistiam, quæ pro Sacramentis propriè dictis agnoscunt Evangelici, mentionem quoque facit orationis Sacerdotalis super oleum & super capita eorum, quibus imponitur manus, & Bellarminus putat, per impositionem manus intelligi ordinationem & reconciliationem, duobus aliis Augustini testimoniis demonstrare laborans, pœnitentiæ & reconciliationem vocari ab Eomanis impositionem, provocatione in primis factâ ad illam oraculi Davidici explicationem, quâ Sanctus Pater ostendit, quid per alligamenta, quorum regius Paltas meminit, debeat intelligi; nihil tamen illud efficere, ut Sacramentum propriè dictum esse dicatur Pœnitentiæ ex Augustini Sententiâ, ipsa augustissimi Doctoris verba docebunt, quæ sunt ibi sequentia: *Quid facit Medicus? Alligat contritiones tuas, ut tu possis pervenire ad plenissimam firmitatem, donec consolidetur quod fractum est, quod alligatum est. Quæ sunt ista alligamenta? Temporalia Sacramenta. Alligamenta medicinalia sunt contritionis nostræ, Sacramenta interim temporalia, quibus consolationem habemus, & ista omnia, quæ loquimur vobis, ipsa, quæ sonant & transeunt, quicquid in Ecclesiâ geritur temporaliter, alligamenta sunt contritionum. Quemadmodum enim Medicus perfectâ Sanitate detrahât ligaturam, sic in illâ civitate Jerusalem, cum Angelis æquales fuerimus facti, numquid putatis, ibi nos accepturos esse, quod hic accipimus; aut ibi recitandum est nobis Evangelium, ut Fides nostra permaneat, aut imponenda est manus ab aliquo Præposito? Ista omnia alligamenta fracturæ sunt, sed perfectâ Sanitate detrahentur; verum ad eam non perveniretur, nisi alligarentur.* Notet hic Lector, Bellarminus in hujus testimonii citatione insufficienter partes ab Augustino exhibitas enumerâsse, ut eò melius nimirum illud suo ad commodare possit proposito, Pœnitentiæ & quæ ad eam pertinere videntur peragendam, pro Sacramento propriè sic dicto, & actionibus verè Sacramentalibus ex Instituto venditaturus, sub manus impositione videlicet, ut potè quam Augustinus inter temporalia Ecclesiæ Sacramenta retulerit: At non omittere vel omninò negligere debuit Bellarminus, in eo Augustini testimonio inter temporalia Ecclesiæ Sacramenta recenseri etiam in genere omnia, quæcunque dicuntur in Ecclesiâ, quæ sonant & transeunt, imò quicquid in Ecclesiâ geritur temporaliter, in specie autem & nominatim, quando recitatur Evangelium, ut Fides permaneat, quam Evangelii recitationem non de remissionis peccatorum adnuntiatione lo-

conf. Vin
dic. Anti
Ottom.
part. II.
pag. 329.
seqq.

NB.

lenni tantum, sed in genere de Evangelii prædicatione publicâ & omnibus communi intelligendam esse, ex antecedentibus proximè constat. Et ut de *secundo* adhuc aliquid dicatur testimonio, cuius autoritate Bellarminus Pœnitentiam pro Sacramento propriè sic dicto vult haberi, ad quem modum supra est ostensum, mentionem olei vel unctionis inter actiones alias Sacramentales non facere aliquod peculiare Confirmationis Sacramentum à Baptismi Sacramento distinctum, ac infra etiam pari ratione demonstrabitur, non militare eam pro extremæ unctionis Sacramento speciali, si descriptio ejus circa agonizantis ad beatum ex hac vitâ discessum præparationes occurrat; ita etiam non valet, ut, si manus impositio legitur inter actiones cæteras Sacramentales, vel aliquod Sacramentum Pœnitentiæ intelligatur, vel Sacramentum ordinis, cum utraque actio sit quidem Sacra, non tamen propriè Sacramentalis, eo nimirum sensu, quo Baptismi & Eucharistiæ administratio Sacramentales dicuntur, ne quid de eo moncam, plura apud antiquos per impositionem manuum fuisse peracta, quæ Sacramentis propriè dictis adnumerata fuere nunquam, neque etiam hodiè amplius in usu esse, manifestum est. In *tertio*, quod restat, Augustini testimonio nihil est, quod indubiam faciat consequentiam, cum nihil planè cogat, ut, quia homo post acceptum Baptismi Sacramentum lapsus, amissam ex lapsu Gratiâ Dei, in quam fuerat receptus, per medicinam Pœnitentiæ recuperat, inque pristinum Gratiâ statum redit, Pœnitentiâ æquè ac Baptismum Sacramentum in proprio significato dici & haberi debeat, cum infinitis ea res instantis sit expostita, consequentiæ nexum omnino dissolvens, ac nullitatem ejus ostendens.

Nunc quia in demonstratione Sacramenti Pœnitentiæ ex Augustino Bellarminus succubuisse vidimus, videamus porro, quid ad ea responderit, quæ ex eodem Augustino contra hanc denominationem fuere proposita. Agit autem & contra Calvinum & contra Chemnitium. Et de Calvino dicit, objicere Eum ex Augustino tale testi-

monium, quo Sacramenta esse visibilia debere scripsit verbis sequentibus: *Quid tale aut ipsi vident, aut aliis queunt ostendere in eo, quod Sacramentum Pœnitentiæ vocant? Respon-*

det autem, Non desunt multa visibilia Signa in Pœnitentiæ Sacramento, si ve Sacerdotem ad spicias imponentem manus, si ve pœnitentem ad genua Sacerdotis abjectum & lacrymas fundentem. Sed quia hæc plerumque ita conspiciuntur, ut tamen etiam absque his Pœnitentiæ Sacram. esse possit, BREVITER RESPONDEO, visibile signum, idque à Deo institutum, esse tum Confessionem tum Absolut. August. enim visibile vocat signum, quod aliquo sensu externo percipitur, etiamsi non sit sensus videndi, sed audiendi. Nam, ut idem Augustinus alibi ait, re-

etè dicimus, Vide quid sapiat, vide quid oleat, vide quid sonet, vide quam durum sit. Et

certè in Sacramentis visibile signum non ei opponit Augustinus rei, que non oculis cernitur, sed que solâ mente, nullo autem corporali sensu adprehenditur, sicut enim ait in Sermone ad Infantes, quem Calvinus citat: Sacramentum ideò dicitur, quia aliud videtur, aliud intelligitur.

Quod videtur, speciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet spirituale. Vbi vides, opponi corporale spirituali, & quod sensu percipitur, ei quod intelligentiâ adprehenditur. Corporale igitur verbum rectè signum visibile, id est, sensibile atque externum dicitur.

Ad hæc etiam pertinet, quod ad primam Chemnitii objectionem contra Pœnitentiam, quatenus Sacramentum in proprio significato dicitur, Bellarminus respondit. Objecit Chemnitius, externum huic Sacramento Elementum deesse. Ex divina enim, inquit, Institutione non habet tale externum & materiale elementum, quale est in Baptismo & in Eucharistiâ, quod ad integram definitionem & genuinam Sacramenti proprietatem pertinet. Respondit post alia Bellarminus: *Vera ratio similitudinis inter externa Baptismi & cæterorum Sacramentorum Symbola à sine est sumenda, ob quem instituta constat esse Sacramenta. Finem autem tum Baptismi, tum aliorum Sacramentorum omnes admittunt esse, internam significare Iustificationem, & hoc modo hominem, qui corpore & spiritu constat, per sensibilia & corporalia Symbola ad rerum intelligibilibus & spiritualium cognitionem evehere; hinc enim signa, Symbola & Sacramenta dicuntur. Nam, ut Augustinus loquitur, si Sacramenta similitudi-*

nem non gererent earum rerum, quarum sunt Sacramenta, non essent Sacramenta, quem ad modum igitur in Baptismo exterior ablutio per Aquam exhibetur, ut ablutio interior per Spiritum significetur: sic etiam in Eucharistiâ Panis & Vinum, seu potius Panis vinique species in conspectu ponuntur, ut Corpus & Sanguis Domini intelligentur esse cibus & potus animorum, & ad eundem modum in cæteris Sacramentis id solum necessariò natura Sacramenti postulat, ut externa ad spiritualem effectum apud representandum exhibeantur Signa. Vtrum verò signa hæc ad prædicamentum substantia, an ad prædicamentum accidentium pertineant, & utrum oculis, an auribus percipiantur, nihil interest, neque Christus de prædicamentis voluit nos

esse

Serm. de
Bapt. ad
Infant. &
Lib. III.
Quæst.
V. T.

Lib. 10.
Confess.
cap. 35.

in Epist.
ad Bonif.

Lib. II.
de Doctr.
Christ.
cap. 3.
Tract. 80.
in Joh.

esse sollicitos, neque facilius Ipse per Substantiam, quam per accidentia homines justificat. Quare in Sacramento Pœnitentiæ, in quo pro Symbolo externo confessionem pœnitentis & absolutio-
nem voce corporali à Sacerdote pronuntiatam habemus, vera & propria Sacramenti ratio
minimè desideratur; verba enim non solum signa externa ac sensibilia, sed etiam in genere
signorum præstantissima sunt, Augustino docente. Quod verò idem Augustinus alibi distinguit
elementum à verbo, cum ait: Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum; non de-
bet ad omnia trahi Sacramenta, neque enim de Sacramentis generatim, sed de Baptismo tantum
loquebatur Augustinus, ut ex illis intelligimus verbis: Detrahe verbum, quid est Aqua, nisi
aqua? Alioquin enim & verba loco Elementi seu rei, & res loco verborum esse posse, de Sacra-
menti in genere agentes demonstravimus. Hæc omnia contra Calvinum & Chemnitium
fatis prolixè Bellarminus, in quorum Examine quoad Augustini auctoritatem à Calvino
commendatam, non tam quis dixerit vel scripserit, sed quid dictum sit vel scriptum, ac-
tendimus, Augustinum magis, quam Bellarmini in respondendo methodus inordinata Le-
ctori eò manifestior evadat, notandum est primò, Eum sibi metipsum hic iterum contradi-
cere & scribere. Objecit Calvinus, Augustinum scripsisse, sacramenta esse visibilia de-
bere. Agnovit Bellarminus, verè id dictum & scriptum esse, conatus ostendere in Pe-
nitentiæ Sacramento multa (rectius, aliqua) visibilia & in Pœnitente & in absolvente signa,
in illo quidem præprimis genuflexionem, in hoc autem manus impositionem; & tamen in
proxime sequentibus subjunxit ea plerumque ita conspici, ut etiam absque iis Sacramen-
tum Pœnitentiæ esse possit, quo ipso priora apertissime destruxit, & quæ una concessit ma-
nu, altera iterum abstulit. Notandum secundò, Bellarminum mutare contra mentem
Augustini objecta sensuum, & quæ ad auditum pertinent, visui adscribere, quod non sine
insigni absurditate fieri, nemo prima Scientiæ naturalis principia doctus ignorat. Con-
tra mentem Augustini, inquàm; cui injuria fit, cum Bellarminus de Eo scribit, quod visi-
bile signum vocet omne aliquo Sensu externo perceptibile, etiamsi is non sit sensus videndi,
sed audiendi. Doctor enim augustissimus tam absurdus non fuit, ut Sensus ita inter se con-
funderet, ac audibilia pro visibilibus vendicaret, cæcis hæc ratione visû restituens, ipse
oculatus. Etsi enim in testimonio, quo Bellarm. ad absurditatem hanc aliquatenus pallian-
dam est usus, verbû vide ad cæteros etiã sensus externos adhibuit Sanctus Pater, longe ta-
men aliud est, verbum hoc nonnunquam dilatarî ad objecta reliquis Sensibus percepti-
bilia, ut ad instar Ecce significationem interjectionis sustineat; aliud verò, res aspecta-
biles, materiam visibilem, rem oculis subjectam idem significare, quod verbum audibi-
le, cujusmodi exemplum nec ex Augustino, nec ex aliis scriptoribus probatis poterit ad-
duci. Nimirum videndi vox metaphorice quandoque accipitur pro cognitione, sed
eam hoc loco proprie accipiendam esse pro sensu oculorum, analogia reliquorum Sa-
cramentorum manifeste comprobatur, de quâ ipse Bellarminus hoc ipso in loco ad pri-
mam Chemnitii objectionem ingenue satis agnovit, non male ex Baptismo & Eucharistiâ,
quæ omnium consensu vera sunt Sacramenta, naturam ac proprietatem Sacramentorum in ge-
nere investiganda cœnseri; falsus etiam in omni Sacramento externum requiri Elementum,
illi simile, quod (vel quale) in Baptismo & Eucharistiâ adesse cernimus. Hinc male pro se
laudavit sequentia Augustini verba: Sacramentum ideo dicitur, quia aliud videtur, aliud
intelligitur: quod videtur, speciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet spiritua-
lem. Potius contra Bellarminum hæc sunt, utpote in quibus, dum objecto visus species
adscribitur corporalis, Augustinum non nisi de sensu oculorum proprie locutum fuisse,
certò certius, imò certissimum est; nec quidquam valere potest in contrarium perva-
rissima & absurdissima Bellarmini glossa, quasi Doctor Sanctus id, quod Sensu etiam quo-
cunque percipitur, et, quod intelligentiâ apprehenditur, opposuerit, & hinc corporale verbum
rectè signum visibile, id est, sensibile atque externum dici; cum duabus vicibus expresse
atque tantum sensus videndi facta fuerit mentio, nulla autem plane corporalis verbi
tanquam Signi visibilis, neque etiam ex instituto fieri poterit, augustissimo Patre intel-
lectum hominis, facultatem animæ ejus primariam, non sensibus externis in communi,
sed sensui visus tantum in specie hic opponente, idque eum in finem, ne videlicet homi-
nes Sacramentis à Deo institutis ad Fidei robur & Confirmationem utentes, sensu oculo-
rum in externis tantum hæreant, etsi Divinitus ad id negotium ordinatis, & sine quibus
Sacramenta non essent Sacramenta, sed ut intellectu tuo etiam latentia sub his visi-
bilibus Signis & elementis bona ad percipiendum ex iis spiritualement fructum adprehē-
dant, ac thesauro ibidem abscondito potiuntur. Notandum est autem tertio, Bellarmi-
num

Vid. D.
Gerh. LL.
Tom. III.
P. m. 476.

num in responso ad objectionem *Chemnitii* insuper etiam confundere causam Sacramentorum finalem cum materiali, dum veram similitudinis inter externa Baptismi & cæterorum Sacramentorum Symbola rationem à fine sumi debere contendit, ad analogiam Sacramentalem respiciens. Quamvis enim Evangelici eam non omnino tollant, sed sano sensu facile habere patiantur locum, non tamen sequitur, id quod Bellarminus hic vult, *veram similitudinis inter externa Sacramentorum Symbola rationem à fine sumendam esse*, quia hic primario ad voluntatem Institutoris Domini respiciendum est, qui sicut tanquam agens liberimum absque hac analogia Sacramentis externa quædam signa & Symbola potuisset destinare, ita dum Pœnitentiæ, quæ in verâ cordis contritione & fiduciali Promissionum Evangelicarum apprehensione consistit, nulum tale Signum vel Symbolum adtribuit, eâ etiam sub Elogio Pœnitentiæ habendam, quam Bellarminus in Controversiæ hujus statu formando sub nomine *virtutis non exiguæ* commendat, eam *mentis conversionem ad Deum* vocans, *necessariam semper ad reconciliationem*, non est, ut à finis consideratione ejusque respectu nobismetipsi sine digito Dei signa vel Symbola formemus vel fingamus, eisque rationem causæ materialis adscribamus, & hinc Sacramentorum numerum præter debitum augeamus, cum in hoc negotio Sacramentali nobis non nisi ex nutu & voluntate Ejus, ejus solum est Sacramenta instituire, materiamque & formam eorum præscribere, sit vivendum; & quod ad hominem disputantibus hic negligendum non est, de ipsâ hujus Sacramenti, ut volunt, Pœnitentiæ materiâ & formâ, id est, Signo visibili externo ac ejus adplicatione, nondum inter ipsos Sacramentifices Papæos omnino conveniat, non parum inter se differentes, Confessione *Gerhardi* Catholicâ hunc dissensum satis copiosè Lectori studioso ob oculos ponente. Nunc *quartò* super adhuc est notandum, Bellarminum in responsione ad objectum Augustini de necessitate Elementi in actione Sacramentali testimonium, ejus sensum justo amplius restringere, & ad solum Baptismi Sacramentum adplicare, quod de Sacramentis in genere dictum est. Præter ea enim, quæ supra de *Verbo Sacramenti* dicta sunt, ex quibus manifestissimè patet, ad Verbum Sacramenti id est, signum audibile, requiri insuper externum aliquod Elementum, id est, signum visibile, illud in aures, ut ita dicam vel scribam, hoc verò in oculos incurrens; illud præmissum hic notandum, si hæc Augustini verba, *accedit verbum ad Elementum, & fit sacramentum*, juxta sententiam Bellarmini deberent intelligi & explicari, quod post *Gerhardum* etiam *Hülsemannus* noster observavit, idem esset, ac si Augustinus scripseret, *Accedat verbum ad verbum, & fit Sacramentum*. Ut non prolixè urgeam, quamvis ibi in specie de Sacramento Baptismi egerit Augustinus, hæc tamen verba de Sacramentis in genere dicta esse, ut potè quorum respectu Sanctus Doctor alibi Sacramenta esse dixit *visibilia in-visibilibus Gratiæ Signa vel signacula*, de quo itidem supra in Quæstione de *sacramentorum sine sigillari* fuit dictum.

in Anti.
Hag. Dif.
put. 10.
P. m. 371.

CAPVT DVODECIMVM & seqq.

de Quæstione,

*An Sacramentum Pœnitentiæ à Sacramento Baptismi
sit diversum?*

Videri posset hæc Quæstio inter Evangelicos & Papistas minimè controversa, nisi eam occasione Canonis Tridentini fecisset de novo controversam Bellarminus, accusans Lutherum tanquam inventorem novi dogmatis, *Baptismum dici posse ac esse Sacramentum Pœnitentiæ, atque lapsos post Baptismum reconciliari per Baptismum memoriâ repetitum*. Actum est de hac Controversia in tractatione de *Effectu Baptismi*, & ostendunt vim justo majorem, quasi in eo omnis culpa & pœna verè & omnimodè tollatur, ita ex altera parte peccantes in defectu eidem adscribere vim justo minorem, dum delere in eo docent tantum peccata Baptismum antecedentia, nullo ad consequentia habito respectu. Nunc breviter vindicanda est Veritas Evangelica, ac Lutherus ab eo liberandus errore, quem Tridentinus Canon, & ejus ductu Bellarminus ei per insignem injuriam impegit, quasi Baptismum & Pœnitentiâ pro uno eodemque haberet, interque se diversa turpiter confuderit. Id autem melius iterum fieri non potest, quam si ipsum audiamus Lutherum, optimè suæ

D d d

mentis

mentis interpretem, qui in libro de *Captivitate Babylonica*, ubi de Baptismi Sacramento Tom. II. egit, sequentia Lectori observanda proposuit: *Vbi virtutem Baptismi in parvulis non po-*
 Jen. Lat. *nit Sathan extinguere, prevailuit tamen, ut in omnibus adultis extingueret, ut jam fere nemo*
 Pap. 270. *fit, qui se baptizatum recoretur, nedum gloriatur, tot alius reperis viis remittendorum pec-*
catorum & in Cælum veniendi. Præbuit occasionem his opinionibus verbum illud periculo-
sum D. Hieronymi, si ve male positum, si ve male intellectum, quo Pœnitentiam appellat secun-
dum post naufragium tabulam, quasi Baptismus non sit pœnitentia. Hinc enim, ubi in pecca-
tum lapsi fuerunt, de primâ nave seu tabulâ velut amisâ desperantes, secunda tantum in-
cipiunt niti & fidere, id est, Pœnitentia. Hinc nata sunt votorum, religionum, operum,
Satisfactionum, peregrinationum, Indulgentiarum, sectarum infinita illa onera, & de is maria
illa librorum, questionum, opinionum, Traditionum humanarum, quas totus Mundus jam non
 P. 271. b. *capit, ut incomparabiliter pejus habeat Ecclesiam Dei ea tyrannis, quàm unquam habuit Syna-*
gogâ aut ullam natione sub Cælo. Et post aliqua: Vides, quàm periculosum, imò falsum sit, opina-
ri, Pœnitent. esse secundâ tabulam post naufragiû. & quàm perniciosus sit error, putare, per pec-
catum excidisse vim Baptismi, & navem hanc esse illisam. Manet illa una, solida & invicta na-
vis, nec unquam dissolvitur in ulla tabulas, in quâ omnes vehuntur, qui ad portû salutis vehun-
tur, quæ est veritas Dei in Sacramento promittens. Hoc sanè sit, ut multi è nave in Mare profiti-
ant temerè & pereant. Hi sunt, qui deseritâ promissionis fide in peccata sese precipitant. Verùm
navis ipsa permanet, & transit integrâ cursu suo. Quod si qua gratia ad navem reverti potest,
nulla tabula, sed solida nave ipsa feretur ad vitam. Hic est, qui ad promissionem Dei stabilem
& manentem revertitur per Fidem. Et tandem in fine totius operis: Proprie ea vocari Sa-
cramenta visum est, quæ annexis promissa sunt Signis. Cætera quia Signis non sunt allegata,
vuda sunt promissa. Quo fit, ut si rigide velimus loqui, duo tantum sint in Ecclesiâ Dei Sacra-
menta, Baptismus & Fides, cum in his solis & institutum Divinitus signum, & promissionem
remissionis peccatorum habeamus. Nam Pœnitentia & sacramentum, quod his duobus accensum,
Signo visibili & Divinitus instituto caret, & aliud non esse dixi, quàm viam ac reditum ad
Baptismum. Hæc omnia ibidem Megalander, quorum aliquam partem Bellarminus
etiam exscripsit, exque iis mentem per omnia sanam & orthodoxam fatis percipere po-
tuisset, nisi peregrinam & absurdam ad fingere maluisset, Lutherum in super alicujus in-
constantia arguens, quod à principio libri tria, in fine autem, ob defectum Signi visibilis
à Deo instituti in Pœnitentiâ, duo tantum statuerit Sacramenta, quam tamen incon-
stantiam ipse Lutherus amoliri studuit per apertissimam distinctionem inter Sacramen-
ta propriè & latiori significatione sic dicta, de quâ distinctione etiam supra in loco di-
ctum est ex Augustino. Nunc quoad præsentem, de quâ hic in specie sermo est,
Controversiam, etiam si Lutherus in primâ verborum parte à Bellarmino etiam de-
scriptâ Baptismum dixerit esse Pœnitentiam, eo nimirum sensu, quo antehæc vidimus
Baptismum ab Augustino etiam fuisse dictum Fidei Sacramentum; sicut tamen malè
quis ex hæc Augustini doctrinâ, imò contra Augustini mentem concluderet, ipsam
Fidem quoque dici debere Sacramentum, & Fidem atque Baptismum esse rem,
unam eandemque; ita non meliori consequentiâ Bellarminus ex his Lutheri verbis
argumentatur, Eum pro uno eodemque Sacramento Baptismum & Pœnitentiam
habuisse, quæ tamen duo Lutherus apertissimè distinxit, Pœnitentiam esse dicens
viam ac reditum ad Baptismum, & per Fidem, præcipuam Pœnitentiæ partem, ad
promissionem DEI in Baptismi Sacramento exhibitam reverti scribens, quo nihil
manifestius ad præsens Institutum dici aut scribi potuit, utut Lutherus ob id, tan-
quam novum errorem, ut Bellarminus monet, à Synodo Tridentinâ non-nisi di-
ctum anathema reportarit, Chemnitio mysterium Iniquitatis ad illud caput & Cano-
nem, quibus de hæc Quæstione Patres ibidem conscripti egerunt, verbis sequen-
 Exam. *tibus revelante: Si hoc tantum dicere voluissent Patres Tridentini, Pœnitentiam*
 Frid. C6c. *aliquid aliud esse, quàm Baptismum, & eos, qui post Baptismum sunt lapsi, si conver-*
 Tom. II. *tantur, non repetito abluendos Baptismo, sed per Pœnitentiam Deo esse reconcili-*
 P. m. 213, *andos, non sanè tam prolixo opus fuisset capitulo, nec tam operoso anathemate.*
Sed longè aliud est, quod ipsi prolixum hoc expressit capitulum. Sentiant enim ac
docent, per peccata, quæ post Baptismum committuntur, ipsam virtutem, effica-
ciam & gratiam Fœderis illius, quod in Baptismo Deus nobiscum inicit, prorsus amit-
ti & irritum fieri, ita ut in verâ Pœnitentiâ fides ad gratiam Baptismi nullo unquam
tempore & modo possit reverti, sed jam circumspicienda sit alia tabula, nostrâ videli-
 cct

» cet operationis in Contritione, confessione & Satisfactione, cujus virtute ex peccatorum undis enatemus, & ad Salutis portum vehamur. Quia igitur hoc modo efficitur, & alia ratio reconciliationis cum Deo & remissionis peccatorum proponitur, diversa ab ea, quæ Fidei in gratuita Evangelii promissione propter Christi meritum offertur & in Baptismo obsignatur; nostri falsam hanc opinionem reprehendunt, & ex Verbo Dei ostenderunt, nos per Baptismum in participationem promissionis Evangelii & in communionem meritorum Christi fœdere perpetuo ita adsumi, ut in eo vel perseveremus, vel si per peccata inde exciderimus, ut per Pœnitentiam fide ad Fœdus in Baptismo nobis obsignatum redeamus. Ut ita Pœnitentia non sit nova ratio promerendæ remissionis peccatorum per opera nostra, sed reditus tantum ad gratuitam promissionem remissionis peccatorum propter Satisfactionem Christi Mediatoris, quæ in Baptismo donata nobis est & obsignata, ita ut ad eam habeamus reditum post quemcunque lapsus, non septies, sed septuagies septies. Præmitti hæc ex Lutero & Chemnitio, ad quorum utrumque ipse Bellarminus provocavit, necessarium debuerunt, ut statu Controversiæ cognito de Bellarmini methodo agendi eò melius Lectori constet, ac manifestum fiat, quid de Quæstione hæc statuendum sit. Et quem ad modum ex his patet, falsò imputari Lutero & Ejus discipulis, quasi Baptismum & Pœnitentiam pro uno eodemque Sacramento haberent, libris Symbolicis & Institutionibus Catecheticis contrarium planè testantibus, dum de Baptismo & Pœnitentiâ sub diversis agitur titulis & distinctis inter se capitulis; ita ne Bellarminus tamen hic etiam aliquid obtinuisse videatur, non præter rem erit, quæ ad suæ opinionis veritatem contra Sententiam Evangelicorum, ut minus sincerè propositam, ex Augustino præprimis adduxit, sub breve Examen vocare, atque ostendere, Augustinum Doctorem hic etiam à partibus Evangelicorum stare, testem videlicet Evangelicæ Veritatis perpetuum.

Dupliciter autem ad suas partes Sanctum Patrem trahere conatur Bellarminus. Primum ubi Tridentinæ Synodi Sententiam è Scripturæ testimoniis demonstrare satagit, inter quæ tertium numero & ordine ex autoritate Pauli Apostoli hoc est: *Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam celeste Donum, & participes facti sunt Spiritus Sancti, & prolapsi sunt, rursus renovari ad Pœnitentiam, rursus crucifigentes sibi metipsum Filium DEI & ostentui habentes.* Ad hunc locum ita scribit Bellarminus: *Non negat Apostolus, posse lapsos post Baptismum Deo per Ecclesiam reconciliari, ut falso Novatianos sensisse nostri etiam adversarii concedunt; quomodo enim Paulus negaret, lapsos post Baptismum reconciliari posse, qui Corinthios post Baptismum gravissimo scelere inquinatum reconciliari permisit; sed negat, renovari posse per Baptismum, sic enim hunc locum intelligunt Chryostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, Ambrosius. Idem apertissime etiam docet Augustinus, in Expositione Epistolæ ad Romanos inchoatâ propè finem, ubi notat, eos, qui post Baptismum labuntur, curari posse per Pœnitentiam, non autem renovari, quod proprium sit Baptismi. Idem habet etiam Author libri de verâ & falsâ Pœnitentiâ, qui habetur in quarto operum Augustini Tomo. Deinde loci circumstantiæ vix patiuntur accipi aliter verba Apostoli. Nam initio capituli monet Apostolus Ebræos, ut non respiciant iterum ad primordia Baptismi, & Fidei, & Pœnitentiæ, quæ Baptismum præcedit, estque veluti fundamentum ædificii spiritualis, inquit: Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur, non rursus jacentes fundamentum Pœnitentiæ ab operibus mortuis, & Fidei in Deum, Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum & Judicii extremi. De quibus Pauli verbis loquens Augustinus inquit: Hæc omnia pertinere ad initia Neophytorum, satis aperte Scriptura testatur. Reddit autem in sequentibus verbis rationem Apostolus, cur non oporteat ad illa respicere primordia, cum ait, Impossibile est enim &c. ac si apertius diceret, quia non contingit, nisi semel, ea renovatio, quæ habetur per Baptismum. Describi verò Baptismum per illuminationem, dubitari non potest: inde enim omnes Veterum, ac maxime Græci Patres, baptizari dicunt illuminari, & Baptismum adpellant Luminis Sacramentum. Deinde, ubi Bellarminus ex traditione Veterum hanc Tridentinæ Synodi doctrinam contra Evangelicos demonstrare ulterius laboravit, tribus iterum Augustini usus est testimoniis, ex quorum numero primum hoc est: *Si infans post Baptismum propria incipiat habere peccata, illa non regeneratione auferuntur, sed aliâ curatione sanantur.* Secundum: *Si factum est à Catechumeno homicidium,**

conf. Huter. LL. Theol. pap. 754 & seqq.

Ebr. 6.

cap. III.

de Fide & oper. c. 8.

Epist. ad Bonif. lib. II. de ad. ult. C. jug. Ba. cap. 10.

Homil. 50 Baptismate abluitur, si à baptizato, Pœnitentiâ & reconciliatione sanatur. In tertio distingue-
 ex lib. 50. re dicit Augustinum tres Pœnitentiæ actiones, unam ante Baptismum, alteram quotidiana
 Homil. nam atq; perpetuâ pro venialibus peccatis, pro quibus adsidue dicimus ad Deû, dimittite
 nobis debita nostra &c. tertiam pro lethaliibus peccatis, quæ post Baptismum committuntur,
 ac de tertia ista sic loqui Augustinum dicit. *In hac Pœnitentiâ majorem in se quisque exercere debet se veritatem, ut à seipso judicatus non judicetur à Deo.* ad utrumque ex
 Augustini autoritate argumentum Bellarmini ut in gratiam Lectoris Studiosi aliquid dicatur,
 de Oraculo in primis Paulino notandum est, impertinenter illud à Bellarmino laudari,
 sive laudatissimorum quorundam ex recentioribus Interpretum, sive ipsius Bellarmini,
 sive etiam Augustini de Eo Sententiam attendamus. Præmittere hic autem placet
 Guillaudi, Theologi Seculo antecedente Parisiensis celeberrimi, ad hoc testimonium
 Apostoli collationem, præsentis Instituto aptissimam, ita scribentis: *Hic locus à quibusdam
 intelligitur de peccato ad mortem, seu de blasphemia in Spiritum Sanctum, quam non remittendam
 dixit Christus, neque in hoc seculo, neque in futuro.* Quæris, quod est illud peccatum
 seu blasphemia? Est, quando aperta Dei Veritas videtur, ita ut victus sit apud reme-
 ipsum in tuo corde & conscientia, quod res ita habet, & aliter esse nequit, & tamen impie aude
 dicere & contra contendere, hoc non esse verum, non esse à Deo, esse per versum, esse à Diabolo;
 qua horrendâ blasphemiâ non vereris gladium Domini contra te stantem, quasi etiam tibi im-
 purè liceat voluntariè contra Deum pugnare. *Hæc ex Marci tertio capite vides, ubi mani-
 festum opus Dei contra Conscientiam tribuebant ipsi Beelzebub Scribæ & Pharisæi. Vnde post-
 quam Evangelista scripsit verba Christi, Qui blasphemaverit in Spiritum S. non habebit
 remissionem in æternum, addidit, quoniam dicebant, Spiritum immundum habet. Quod
 si Christus hæc dixit de illis, qui impii erant, & Veritatem suscipere volebant, sed manifestam,
 ita ut negari non posset, impugnabant; quid accusamus hunc Authorem nostrum, quod illos con-
 demnat, qui verbis non exterius, aut externis solum Miraculis, sed intus in corde illuminati
 gustaverunt donum caeleste, accepto Spiritu sancto, gustaveruntque bonum Dei Verbum ac vir-
 tutes & efficaciam Regni Dei, & tamen ab his omnibus retrò labuntur, & blasphemant gratiam
 tanto Spiritus testimonio agnitam, id quod infra capite decimo voluntariè vocat peccare? Im-
 possibile est certè, id est, valde difficile, hos renovari ad Pœnitentiam, quia penè à Deo destrum-
 tur.* Et si autem in proximè sequentibus statuatur eruditissimus Collator, à Cyrillo & aliis
 Doctoribus Sacris, hunc locum de Baptismo intelligentibus, non esse abeundum, non
 tamen priorem Sententiam abolevit, insinuans potius eomet ipso, utramque Sententi-
 am & de blasphemiâ in Spiritum Sanctum, & de Baptismo, id est, Pœnitentiâ & renova-
 tione Baptismali, posse simul stare, sibi que invicem subordinari; quarum neutra tamen
 Bellarmini inservit proposito, dum blasphemia in Spiritum Sanctum, quia irremissibilis,
 ad Pœnitentiam non pertinet, & Pœnitentia Baptismalis, de qua Paulus ex Sententiâ
 etiam Bellarmini agit, alia sit ab ea, de qua Bellarminus disputat. Post Cajetanum &
 Gagnæum, notissimos Epistolarum Apostolicarum Tractatores, quamvis etiam Cathari-
 nus de se fateatur, sibi quoque hunc de Baptismo vel Pœnitentiâ & renova-
 tione Baptismali sensum aliquando placuisse, sed attentius hanc admirandam Sententiam Apostoli
 considerantem, priorem sensum minimè quidem reprobare, censere tamen, alium esse
 germanum & Apostolicâ Dôctrinâ dignum, superiorem quoque includentem, quem se-
 quentibus exhibet verbis: *Apostolus hortatur Ebræos, qui debuerant exactius propter le-
 gem profecisse, & jam de pueritiâ propter plenitudinem temporis exiisse, ut ad perfectionem per-
 ducerentur, si modo Deus permiserit. Contestatur autem eis, quod si illi, qui semel venerunt
 ad Christum, & usque adeo profecerunt in Evangelio, ut de Veritate illuminati gustaverunt
 illud Gratia & Charitatis Dei caeleste donum, & per hoc participes facti sunt Spiritus Sancti,
 qui Deus est & Charitas, cujus donum illud est quedam participatio, & gustaverunt
 jam bonum DEI Verbum, quod est promissio futurorum Bonorum, & virtutes sive po-
 tentias Seculi futuri, quoniam acceperunt hic arrham futurae Glorie in futuro Seculo
 manifestande; si, inquam, tales postea fuerint prolapsi, id est, ab his donis de-
 ciderint, ita ut Fidem etiam amiserint, (sic hoc in loco prolapsionem intelligo,) im-
 possibile est eos renovari ad Pœnitentiam, id est, redire talem hominem ad prio-
 rem Satum ac dispositionem, in quo erat prius, & in quo invenitur homo rudis & no-
 rus, qui primordis eget illius Sermonis, qui de respiciendi tractat. Nam qui in hoc est sta-
 tu, docilis est Deo, & ad Pœnitentiam atque Fidem duci potest; at postquam inde ventum est
 in hæc dona Spiritus, & ab his donis jam ingressus homo in Christum, relapsus autem & præ-
 varicator inventus in illo, non amplius in eum redit statum, in quo inveniebatur, quando nihil
 de*

de Christo cognoverat. Quocirca simpliciter verum sit, impossibile esse, hunc hominem renovari ad Pœnitentiã, scilicet, ut perinde sit, ac si rudis & novus omnino esset, & ita docibilis Deo. Hæc Ille, in omnibus cum Sententiã à Guillaudo recitata conveniens, hoc solum excepto, quod cum ad literam Catharinus cum Paulo talis Apostata & blasphematoris renovationem statuat impossibilem, in eã hæc impossibilitas mutetur in difficultatem, quamvis summam & non facile superabilem. Ucut autem neuter horum in explicatione Sententiæ de Baptismo, sive Pœnitentiã Baptismali vel Baptismi repetitione expressam Augustini faciat mentionem, nisi quod Guillaudus præter Cyrillum ad alios etiam Doctores Sacros provocavit, Augustinum sine dubio simul intelligens: apertius tamen id indicavit Esthivius, omnes Græcos Commendatores pro hæc Sententiã laudans, & Latinorum maximam partem, Ambrosium imprimis & Augustinum, quam gravissimis quoque ex ipso contextu rationibus, & proprietate verborum a postoli scripsit confirmari, non tamen sine alicujus dubii scrupulo, quem indicavit quidem, an verò etiam excemerit, Lectoris esto judicium. Ita autem de eo: Quorsum Apostolus tam sollicitè doceret Ebræos, non posse semel baptizatos iterum baptizari, cum nulla testetur Historia, aliquos fuisse apostolorum tempore, qui Sacramentum Baptismi semel acceptum repeterent, aut repetendum esse docerent? Deindè, nec facile cuiquam erat, hoc Sacramentum, sicut ab Ecclesiã administrabatur, iterum suscipere; non enim sic in promptu erat Baptisma Christianum, sicut sua Judæis Baptismata, quæ sibi met ipsis adhibebant, quoties immunditiã contraxissent, sed solemnibus ceremoniis & statutis temporibus, nec nisi per Ecclesiæ ministros ea res agebatur. Quod ergò dicunt Patres, (interque eos Augustinus) Apostolum hic loqui de Baptismo non repetendo, id non tam de Baptismi ceremonia, quam de ejus effectu convenit intelligendum. Effectum dico, non characterem, sed eum, qui peccando amittitur, id est, Gratiam regenerationis ac renovationis; non quod amissa semel gratia recuperari non possit, sed quia nullum Deus instituit remedium, quo amissa tam facile recuperetur Gratia, videlicet per modum regenerationis ac renovationis, quam fuerat per Baptismum adquisita. Hoc enim est, quod Apostolus docet, non ita deponi posse sarcinam peccatorum, si quis fuerit relapsus, sicut in Baptismo deponitur ab eo, qui nunquam habuit gratiam; quia pœnitens multum adhuc ea gravatur sarcina, duram lubeundo Satisfactionem, priusquam ad plenam & perfectam perveniat reconciliationem. Hæc & plura, quæ Esthivius ibi habet, etiam ad illustrandam & confirmandam Augustini & aliorum Interpretum de Baptismo vel negata Baptismi iteratione Sententiam scripserit, juxta hypotheses nimirum, quæ à Bellarmino etiam hic attenduntur, non tamen ita satis ex omni parte potuerunt facere ipsi Esthivio, ut non in posterioribus de hoc Pauli Oraculo meditationibus ad Catharini explicationem, à Guillaudo quoque exhibitam, inclinare fuerit visus, sequenti ex Schedis Ejus manuscriptis Additione testimonium perhibente: Videndum est, an hic locus, & aliter ex capite decimo, ex mente Apostoli pertineat ad eos propriè, qui deserunt Ecclesiam & Fidem Christi; hoc enim præcedit illo capite decimo: Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam. Et videri potest hic Sensus esse ad propositum, quia hoc dicit loco, Non rursus jacentes fundamentum &c. q. d. Si quis per Apostasiam amiserit fundamentum, Fidem Christianam in universum abiciens, ille jam desperatus est, non debet de novo catechizari & renovari. Quamvis verò vocabulum magis ibi non significet totaliter prolapsos, potest tamen de iis hoc loco verificari propter adpositas circumstantias, ex quibus omnino videtur non intelligi aliquis lapsus vulgaris in peccatum mortale, velut in Ebrietatem, fornicationem, detractionem. Et idem est judicium de loco capitis decimi, ubi similiter sunt circumstantiæ multum exaggerantes. Probatio etiam illa, quæ hoc sequitur loco, Terra enim &c. hunc flagitare videtur Sensem. Certè tam hic, quam capite decimo Apostolus peccatum Apostasie valde adgravat, ne quis facile recedat à fraternitate. Ita Esthivius dubiam mentem suam in hujus Oraculi Senu indagando significavit, quamvis in posterioribus, ut dixi, Meditationibus, quæ ex trito Eruditorum proverbio solent, imò & jure debent esse meliores & exactiores, & hinc etiam Veritati propiores, ad eam inclinans Sententiam, quæ si obtineat, (& cur obtinere non possit, nondum hætenus sufficienter est demonstratum:) Bellarminus nihil pro se hic obtinebit. Quin &, quod ad Guillaudi verba jam fuit ostensum, si de Pœnitentiã Baptismali locum haberet Explicatio, comet ipso Sententiã de Pœnitentiã Sacramento, tanquam simul stare non potens, loco cedere deberet. Equidem, ut pro Bellarmini Sententiã hoc addam, si ex mente Pauli agitur

de Pœnitentiâ Baptismali, videlicet, quod prolapsi, quos describit, non possint denuo renovari ad eam; videtur omninò sequi, aliam super adhuc esse Pœnitentiâ, videlicet, quam dicunt Sacramentalem, à Baptismali distinctam. Sed quamvis aliquam in quibusdam circumstantiis concedamus hujus & illius Pœnitentiæ differentiam, non tamen sequitur, species esse diversas, neque ideò negari debet, Pœnitentiâ lapsorum post Baptismum habere respectum & recursum ad illam Baptismi gratiam, cujus in susceptione hujus Sacramenti per Fidem, præcipuam salutaris Pœnitentiæ partem, facti fuerunt participes, eadem Fide promissam à Deo verè pœnitentibus gratiam merito Christi Mediatoris partem adprehendente, & per Sacramentum Eucharistiæ quod ob hanc causam non malè Confirmationis Sacramentum dici potest, obsignante. Id nunc adhuc insuper subungere placet, etsi *Fromondus*, recens satis Pauli interpres, hanc Augustini & aliorum Sententiâ sequatur in explicando hoc oraculo, *Esthium* quoque & *Riberam* inconstantiâ sine causâ adcusans, hinc pro necessitate Sacramentalis Pœnitentiæ cum Bellarmino antehac argumentantes, postea verò Sententiâ mutantes, ut de *Esthio* in specie est ostensum; *Franciscum Carriere* tamen; Minoritam Gallum, post omnes ferè alios Interpretes, adeòque expensis antecedentium fundamentis & rationibus, statuisse nihilo minus, *planior em præ eâ*, quæ ex Græcis Patribus Chrysostomo & Damasceno imprimis, ex Latinis autem Hieronymo, Ambrosio & *Augustino* placuisse scribitur, *esse expositionem*, quam habuisse Dionysium, Anselmum, Lyranum, Aureolum, Hugonem, Titelmannum, Vasquezium, *Riberam* & alios recentiores monet, quæ dicitur, *Paulum loqui de Pœnitentiâ, nimirum non antecedente Baptismum, sed confedente, eamque dicere impossibilem, id est, valde difficilem, non quibusvis, sed prolapsis, & ex Thoma Sententiâ prorsus lapsis, id est, à Fide apostatis, qui post insignia (Divinæ cognitionis) Lumina & consolationes degustatas à Christo desciscunt.* Meum nunc iterum non est, diversas inter se & antiquorum & recentium Scripturæ Interpretum Explicationes conciliare. Id tantum noto, mirum non sine causâ videri posse, Bellarminum ad probandam, quam sumit defendendam & dixit veritatem, fuisse ausum uti testimonio tam diuersis Explicationibus exposito, & in cuius sensu ipsimet Doctores Papæ non consentiunt. Addo, quod ad præsens Institutum quam maxime pertinet, si ipsis etiam Doctoribus Papæ ab *Augustini* Sententiâ, ad quam Bellarminus provocavit, licuit discedere, id etiam Doctoribus Evangelicis bonâ cum augustissimi Patris veniâ illicitum non esse, si debitâ id cum modestiâ & sine diminutâ Ejus authoritate fiat. Verum non opus est, ut eò perveniatur, cum aliâ ratione possit ostendi, *Augustinum* in hujus etiam Oraculi explicatione, ut videbatur Bellarmino, Evangelicis contrarium non esse. Primum ex tribus testimoniis, quæ Bellarminus exhibuit, supra quoque in Controversiâ de *Baptismi* Effectu fuit propositum, hic omninò repetendum, ut de Sancti Doctoris mente eò melius possit constare, Evangelicis, ut dixi, non oppositâ. Ita autem paulò ante finem inchoatæ Expositionis ad Romanos: *Eos, qui jam fuerint baptizati, MELIUS curari dicimus per Pœnitentiâ, non renovari, quia renovatio est in Baptismo, ubi quidem operatur Pœnitentiâ, sed tanquam in fundamento. Manente itaque fundamento, recurari edificium potest; Si autem iterare quis voluerit fundamentum, totum subvertat edificium necesse est.* Notanter observat Augustinus, melius hominem curari, quam renovari per Pœnitentiâ dici, eomet ipso indicans, non soli Baptismo adscribendam ita esse renovationem, ut non etiam pertineat ad Pœnitentiâ, toto vitæ cursu agendam & sæpius repetendam, quod alibi clarissimè indicavit, suam de renovationis perpetuâ continuatione Sententiâ sequentibus verbis proponens: *Non ex quâ horâ quisque baptizatur, omnis vetus infirmitas ejus absumitur, sed renovatio incipit à remissione omnium peccatorum, & in quantum quisque spiritalia sapit, qui jam sapit, in tantum renovatur.* Et iterum ibidem: *In Baptismo, quamvis tota & plena fiat peccatorum remissio, tamen si continuò tota & plena etiam hominis in aternam novitatem fieret mutatio, non dico & in corpore, quod certè manifestum est adhuc in veterem corruptionem atque in mortem tendere, in fine postea renovandum, quando vere tota novitas erit; sed excepto corpore, si in ipso animo, qui est homo interior, perfecta in Baptismo novitas fieret, non diceret Apostolus, Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem. Profecto enim, qui de die in diem adhuc renovatur, nondum totus est renovatus; & in quantum novum est renovatus, in tantum adhuc in vetustate est.* Multa in his verbis notatu digna habet Augustinus contra Bellarminum, quæ tamen ob vitandam prolixitatem Lectoris judicio debent commendari. Clarius adhuc in libro de *verâ & falsâ Pœnitentiâ* id expri-

lib. II. de
peccat.
merit.
cap. 7.

II. Cor. 4.

exprimitur, ad quem loco secundo sub Augustini nomine provocavit Bellarminus, ubi sequentia in rem præsentem leguntur verba: *Sunt, qui credunt, usq. ad Baptismum proficere Pœnitentiã, sed postea peccantibus cassam perseverare: gaudent enim singularitate, arrogantes ex hoc, quod non habent, jactantes, se mundos esse, utpotè quasi nihil post Baptismum commiserint, undè jure possint dolere. Hi sinistrè omnia intelligentes, vires ex auctoritate Sanctorum sumentes, & sequentes Patrem mendacii, mendaciter exponunt, quod concordat veritati. Legant in Apostolo, quod intelligere nolunt. Et postquam Pauli verba adduxit: Si superbia eos non excacasset, viderent, Apostolum non ita esse destructorem sui laboris atq. sui gaudii. Quos enim per Epistolas correxit, nisi qui post Baptismum ceciderant, & in peccato perseverabant? Gentiles enim visitabat corporali presentia, & Rationibus & Miraculis eos confutans. Quomodo scriberet infidelibus, ipsis Eidem multipliciter contradicentibus? Hunc lapidabant, virgis cadebant: & eis scriberet, ut se corrigere? Cur autem infidelibus indiceret correctionem, si de salute eorum desperaret? Quomodo scriberet, qui scienter & necessarîo nihil omnino proficeret? Si non possent renovari per Pœnitentiã, cur predicaret eam?* Quæ ibidem plura sequuntur, non addo, incurius etiam de methodo disputandi, quæ in his observatur verbis; id tantum noto, renovationem, quam Augustinus Baptismo tantum adscripsisse visus fuit Bellarmino, hic expressè etiam Pœnitentiæ adscribi, id quod in antecedente Testimonio uberius fuit declaratum ut adeò, quæ fit per Baptismum renovatio, ab eâ, quæ per Pœnitentiã fit, non sit specie diversa, sed hæc potius sit illius continuatio, hæc ad illam, quasi ad fundamentum & radicem habente respectum. Sed & neq. tertius obest Augustini locus Evangelicis, quo contra eos utitur Bellarminus, ex libro de Fide & operibus desumptus, ubi Sanctus Pater institutâ comparatione Baptismi cum exitu Israelitarum ex Ægypto, & translatione eorum per mare rubrum, secutâq. ab Ægyptis liberatione, ex instituto egit de Quæstione, *Num baptizandus sit, qui impiam velit mutare vitam, adstruens, Baptismum Fidei opera præcedere debere, nullâ mentione factâ Pœnitentiæ lapsorum post Baptismum, de quâ tamen hic præprimis controvertitur. Et si Bellarminus hinc voluit probatum, aliam esse Pœnitentiæ rationem ante Baptismum, vel etiam in Baptismo, aliam verò post Baptismum, Evangelici non erunt adversarii, modò concedatur, quod & omnino concedendum est, utrobique esse vel fuisse respectum ad Baptismum, ibi quidem, quasi terminum ad quem, hic autem, quasi terminum à quo, undè renovatio repetenda venit & postmodum continuanda. Idem quoq. dici debet ad tria Augustini testimonia, quibus porro Bellarminus ex traditione Veterum Ecclesiæ Doctorum contra Evangelicos, inani quamvis conatu militare studuit, quod ex eorum tenore jam patebit. Primum pleniori, quam à Bellarmino proponitur, textu sic habet: *Potest parvulus semel ex parentum carne generatus DEI Spiritu regenerari, ut & ex illis obligatio contracta solvatur; non potest autem semel DEI Spiritu regeneratus ex parentum carne regenerari, ut obligatio, quæ soluta est, iterum contrahatur. Et ideo semel perceptam parvulus Christi gratiam non amittit, nisi propriâ impietate, si etatis accessu tam malus evaserit; tunc enim propriâ etiam habere incipiet peccata, quæ non regeneratione auferantur, sed aliâ curatione sanentur.* Verè hic Augustinus docet, peccata post Baptismum commissa non regeneratione, videlicet nova & iterata, auferri, sed aliâ curatione, nimirum, ut ante dixit, *renovatione per Pœnitentiã*, quæ respectum ad renovationem in Baptismo inchoatam habeat, sanari, methodo non multum dissimili ab eâ, quam Medici in sanandis corporalibus morbis per recidivatum non semel recurrentibus observare solent, iis utentes remediis, quæ antehac utilia esse Experientia didicerunt, utut fortè mutatis Morbi circumstantiis addere vel demere quid soleant medicamentis, prout ægroti status id requirere videtur. Jam in secundo Augustini testimonio, cum dicitur, *homicidium à Catechumeno perpetratum Baptismo ablui, à baptizato autem Pœnitentiâ & reconciliatione sanari*; nihil aliud significatur, quam quod Baptismi Sacramentum nullo planè modo iterandum sit, & quod Pœnitentiã in baptizato sanetur, quod in non baptizato per ipsum Baptismi Sacramentum abluitur, ibi tamen itidem respectu ad Baptismum habito, utpotè vi cujus homo post Baptismum lapsus verè pœnitens & DEO & Ecclesiæ, non primum conciliatur, sed iteratò & repetita vice reconciliatur, quod non sine fiduciali Gratia in Baptismo collatæ readprehensione fieri, imò hanc Gratia restitutionem quasi ex fonte Baptismali fluere, omninò est & esse debet indubium. Quod tertium verò testimonium attinet, etsi non planè omni careat suspitione de aliqua Augustino factâ suppositione, tamen nec illud quidquam infert, quod Bellarmini causam juvet, Evangelicorum causæ autem noceat. Nam eo ipso, quo*

Augustinus, vel quisquis illarum quinquaginta Homiliarum author est, pœnitentiam hominis in tres dividit actiones, quarum prima Baptismum antecedit, loquens videlicet de adultorum Baptismo, duæ posteriores autem sequantur Baptismum, & vel propter quotidianas infirmitates, quibus Sancti etiam non carent, vel propter enormia contra expressam Decalogi literam flagitia suscipiantur, Pœnitentiam Baptismalem à Sacramentali, ut Bellarminus vult, tanquam specie diversam non distinguit, sed potius conjungit, vel ad maximum subordinat, unamque ab altera dependere, unam ad alteram habere respectum, unam quoque ab altera vim & efficaciam accipere docet. Nisi enim Pœnitentia vel de quotidianis infirmitatibus, vel de enormibus flagitiis suscepta Gratia Baptismali niteretur, quâ homo cœderi Divino corporique Ecclesiastico fuit insertus, proque membro Regni à Christo susceptus, ordinariè & extra summam necessitatis casum, quem Legi suæ DEUS rigorosè non adstrinxit, sine Baptismi Sacramento locum non haberet, & neque DEO placere, neque etiam Ecclesiæ, ordinem à Christo præscriptum observanti, satis posset facere, quin & tum Baptismi Sacramento, nisi vera Fides ad Gratiam Baptismi respiciens adesset, Pœnitentia, quibuscumque etiam externis requisitæ Contritionis, factæ Confessionis, susceptæ Satisfactionis operibus demonstrata, alium non ferret fructum, quàm antehac Simon Magus tulit, à Philippo quidem baptizatus, à Petro autem ob cordis malitiam justè reprobatus & damnatus. Cætera huc pertinentia Augustini testimonia ex laudato capite de Baptismi effectu sunt omninò repetenda.

CAPVT DECIMVM NONVM ET VIGESIMVM,

D E

Tribus Pœnitentiæ partibus,

Nimirum

Contritione, Confessione & Satisfactione in genere.

PRætermitti hic iterum debent Controversiæ de partibus Sacramenti Pœnitentiæ essentialibus, eâ præpmissis quæstione, *An præter absolutionem aliquid aliud sit, quod ad Sacramenti hujus rationem atque essentialiam pertinere videatur?* Ut & *An Contritio, Confessio & Satisfactio sint veræ partes Sacramenti hujus?* cùm ipse Bellarminus agnovit, non hæreticos solum, quos vocat, sed & Catholicos quosdam à communi recedere Sententiâ, in illa quidem Quæstione, Scotum, Occamum, Majorem, Almainum, alios, statuentes, *solum Absolutionem Sacramenti hujus essentialiam constituisse*; in hac verò Durandum, docentem, *solum Confessionem esse materialem sacramenti Pœnitentiæ partem, Contritionem verò esse dispositionem, & Satisfactionem esse fructum Pœnitentiæ*, præpmissis, quia in utriusque, & prioris quidem satis prolixâ tractatione nulla planè Augustini intercurrit mentio, neque etiam potuit intercurrere, dum hæc Quæstiones Augustini tempore non fuerunt controversiæ; sed à Scholasticis demùm Doctõribus motæ, à quorum Successoribus hodiernum pro & contra, ultrò citròque ventilantur, in signum videlicet illius jactatæ unionis, cujus gloriam Papæ pro Veritatis documento sibi constanter, vel potius pertinaciter contra Evangelicos attribuere solent. Prætermittis, inquam, his Quæstionibus controversis, utpotè quæ partim Evangelicis non propriæ, sed ex ipsâ Bellarmini confessione cum Doctõribus quibusdam Catholicis seu Papæis sunt communes, partim neque his cum illis communes, sed his, id est, Papæis propriæ sunt, & quod præsertim ex Instituti ratione veni observandum, nulla in eis Augustini intercedit autoritas, hic quam maximè attendenda; eam nunc adgredimur Controversiam, quam vis brevissimè quoad generalia tractandam, (specialioribus ad sequentis libri Examen reservatis) quæ Evangelicis propria est cum Papæis, de partibus nimirum, ut Bellarminus loquitur, Sacramenti Pœnitentiæ materialibus, sive, ut amplius suam explicat mentem, *de actionibus in homine Pœnitentiam agente necessariis, ut Absolutionem percipere, & cum DEO in gratiam redire possit*; Evangelicis duas partes, videlicet, *Contritionem & Fidem*; Papæis autem tres, *Contritionem cordis, Confessionem oris, Satisfactionem operis* ad normam Synodi Tridentini statuentibus. Has ut Bellarminus post aliorum Ecclesiæ Doctõrum autoritatem laudatam ex Augustino quoque ostendat, hoc Ejus testimonio ad Regiū in Pf. 146. Platis verba: *Qui sanat contritos corde; utitur: sanat contritos corde, sanat confitentes, sanat seipso punientes.* Ubi perspicuè audis tres veræ Pœnitentiæ partes, inquit Bellarminus. Quia autem non nescivit, quid ex Evangelicorum parte ad hoc Augustini & similia aliorum Ecclesiæ Doctõrum testimonia soleat responderi, idè Chemnitii objectionem sibi non prætereundam esse duxit, quam verbis sequentibus proponit: *Peteres*

in multis locis loquuntur de Pœnitentiâ, non quatenus querit & accipit remissionem peccatorum, sed quatenus est vitæ mutatio & emendatio. Hac non attendentes Monachi, tres inde fecerunt Pœnitentiæ partes, quibus adquiratur remissio peccatorum. Ad hanc objectionem ita respondet: si Chemnitius veteres Patres diligenter legisset, non ita temerè pronuntiaret. Nam, ut omitam, quod Confessio, de quâ Patres loquuntur passim, nihil facit ad vitæ mutationem; ut etiam illud præteream, quod ieiunia, lacrymæ, cineres, cilicia & alia id genus opera vel pœnitentiæ instrumenta, de quibus frequentissima apud Patres mentio est, non ad Vitam mutandam, sed ad peccata præterita castiganda apertissimè referuntur; nihil sapius invenies apud Patres, quam tribus illis Pœnitentiæ partibus remissionem peccatorum adquiri. Inter cætera aliorum Patrum ad sequens quoque Augustini testimonium provocat: Quos ^{Epist. 54.} ad Maced., dam à societate Altaris removemus, ut pœnitendo placare possint, quem peccando contemserunt, seq. ipsos puniendo. Sed adhuc una superest objectio, quam Bellarminus huic præpouit, hic etiam non intermittenda: Trina enumeratio partium Pœnitentiæ, ex publicæ Pœnitentiæ ritibus sumta, postea tribus illis partim abrogatis, partim mutatis, indoctè ad generalem Pœnitentiæ doctrinam adcommodata est. Respondit autem, Quomodo ad generalem de Pœnitentiâ doctrinam tres ille partes ex publicæ Pœnitentiæ ritibus sunt accommodatæ, cum in Veteri etiam Testamento fuerint in usu, & ex ipsâ ratione ac naturâ Pœnitentiæ colligantur; publicæ enim Pœnitentiæ ritum post Christi adscensionem in Cælum esse institutum, nemo opinor inficiabitur? Deinde, cum Veteres aperte mentionem faciant Pœnitentiæ & publicæ & privæ, undè probabit Chemnitius, enumerationem illam ex publicæ, & non ex privæ Pœnitentiæ ritibus esse desumptam? Ad objectionem Chemnitii priorem notari & addi debet, Bellarminum aliquid omisisse, quod tamen ad præsens Institutum quammaximè pertinet. Ubi enim Chemnitius dixit, Veteres Ecclesiæ Doctores in multis Sententiis loqui de Pœnitentiâ, non quatenus querit & accipit remissionem peccatorum, sed quatenus est vitæ mutatio & emendatio; pro hujus uberiori declaratione notanter in rem nostram subjunxit: Et tunc Augustinus & Chrysostomus solent ita loqui, Nimirum, sicut tres sunt peccatorum differentia, & tribus modis DEVM offendimus, corde scilicet, ore & opere, ita veram emendationem per contrarium esse instituendam, in animo, verbo & opere. Addit, hæc non attendentes Monachi tres inde fecerunt Pœnitentiæ partes, quibus adquiratur remissio peccatorum, & quidem, quod Bellarminus iterum fraudulenter omittit, exclusâ Fide, quæ ex Evangelio concepta credat, per Christum peccata remitti; & ubi Chrysostomus ponit operis humilitatem, Augustinus vero operis sanctificationem, substituerunt postea operis satisfactionem.

Hæc si attendantur, ad quæ, quod responderet, non habuit Bellarminus, & hinc necessitate adductus omisit, multum lucis præbere possunt iis, quæ Bellarminus frustra sumit oppugnanda, & ut Augustini testimonia, quibus ternarium actionum ad Sacramentum Pœnitentiæ ex mente Synodi Tridentinæ necessariarum numerum stabilire conatus est Bellarminus, eò facilius possint intelligi, ac inde colligi, ad nihil minus, quam ad has Pœnitentiæ partes, qualiter nimirum à Papæ explicantur & requiruntur, Augustinum respexisse; ut taceam, Eum has actiones externas pro essentialibus Sacramenti Pœnitentiæ partibus ad impetrandam non tam à Sacerdote, quam ipsomet Deo remissionem peccatorum necessariis habuisse, quem peculiare aliquod Pœnitentiæ Sacramentum non statuisse, paulò ante vidimus. Ut autem ipsa Augustini testimonia à Bellarmino laudata coram videamus, ea que accuratiori trutinâ ponderemus, primum quidem, si Bellarmini distinctionem inter Pœnitentiâ quâ virtutem, & Pœnitentiâ quâ Sacramentum admittamus, potius de Pœnitentiæ virtute, quam Sacramento agere videtur, eâ nimirum Pœnitentiâ, quâ homo non homini, sed DEO pœnitentem se fitit, id quod augustissimus Doctor verbis non multò post sequentibus ostendit, scribens: Sanaberis ergò, cor de sanaberis contrito. Noli erubescere, cor contere; tales sanat Deus. Sed quid ago, inquires, modò? Condelector enim Legi DEI secundum hominem interio- ^{Rom. 7.} rem, video autem aliam Legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati. Quid agis? Contere cor, confitere; age, dic sequentia: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Hoc enim dicere, infelix homo, jam cor conterere est. Ille speret felicitatem; qui confitetur infelicitatem. Dic ergò, infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? ut respondeatur tibi, Gratia DEI per Dominum nostrum Jesum Christum. Nimirum conjungit Sanctus Pater contritionem & confessionem in his verbis, & in antecedentibus propriam adjungit punitionem, non quasi diversæ essent actiones hominis Pœnitentiæ agentis, vel tres diversæ

diversas partes ad Pœnitentiæ Sacramentum necessariæ, ut Bellarminus vult; sed quia in unâ eademque actione & contritio, & confessio, &c. ut Augustinus loquitur, propria quoque punitio locum habet, homine pœnitentiam agente eometipso, quo ex humili corde sua DEO confitetur peccata, dolens, quod omnium bonorum datorem Deum perpetracione eorum tam graviter offenderit, seipsum quoque punit, sicut malefici coram Judice semetipsum punire dicuntur, sua, quibus extremum promeriti sunt Supplicium, malefacta non sine animi ægritudine agnoscetes & confitentes, unde tamen tres diversas partes Pœnitentiæ, easdemq; essentielles fingere, & hanc, quam Augustinus dicit propriam punitorem, mutare in Satisfactionem vel satisfassionem, est omnino præter mentem Augustini; qui etsi ex tribus peccatorum differentiis & totidem modis offendendi DEUM, Pœnitentiam quoque ita monuit esse institucendam, ut animo, verbis & opere ipso ostendatur, atque Chemnitius id intelligendum esse dixit, non quatenus homopœnitens querit & accipit remissionem peccatorum, sed quatenus hæc actio pœnitentis est vitæ mutatio & emendatio; nihil planè dixit contra Augustini & aliorum Patrum Sententiam, neque quid temerè pronuntiavit, sicut Bellarmino fuit visum, quo etiam multò diligentius & accuratius Scripta Patrum legit Chemnitius, de quo solum *Examen Anti-Tridentinum* potest testari, dum è contrario, si Bellarminus eorum, qui ante se scripserunt, operibus Polemicis, præsertim *Thesauro Fodoci Cocci Catholici*, & in specie *Hieronymi Torrensis Confessione Augustinianâ* fuisset delectatus, multis Patrum & imprimis Augustini testimoniis Controversiæ Ejus carerent, quibus nunc eas, ut non rarò impertinentissimè & minus sincerè adductis, turgere videmus. Neque verum est, quod ob objectionem Chemnitii contra mentem Augustini & aliorum Ecclesiæ Doctorum respondit Bellarminus, Confessionem, de quâ ii loquantur passim, Jejunia item, lacrymas, cineres, cilicia & alia id genus opera, quæ dicit Pœnitentiæ instrumenta, de quibus frequentissima apud Patres mentio fit, nihil facere ad vitæ mutationem, sed ad peccata præterita castiganda apertissimè referri, nihil, sæpius inveniri apud eos, quam tribus illis Pœnitentiæ partibus remissionem peccatorum adquiri; cum sit & esse debeat in dubiis, confessionem hominis Pœnitentiam agentis de jure fieri sive DEO, sive Sacerdoti eum in finem, ut vitæ sequatur emendatio, quam nisi pro Scopo haberet, neque jejunia, neque lacrymis, neque aliis Pœnitentiæ operibus & interni doloris testibus, si res serio agatur, semetipsum puniret & sic operam luderet, præteritorum quidem peccatorum non immemor, sed & ad futura respiciens tempora, id est, debitam vitæ pro viribus emendationem. Et quamvis Augustinus cum aliis Patribus docuerit, his actionibus hominis verè & serio pœnitentis, (non exclusâ tamen, sed inclusa Fide, quæ ex Evangelio concepta credat, per Christum peccata remitti,) remissionem peccatorum adquiri; non tamen tres diversas Pœnitentiæ partes constituit, tanquam ad peculiare Sacramentum pertinentes & quam maxime necessarias, præprimis si requisitam Satisfactionem vel Satisfassionem ex mente Papæorum respiciamus; neque etiam de acquisitione meritòriâ id voluit intellectum, sed de methodo & ordine pœnitendi, quem ipse DEUS partim in Verbo, partim verò Ecclesia in publicis emergentibus scandalis ad eò meliorem Disciplinæ conservationem præscripsit observandum, & sine quo peccator neque apud Deum, neque in Ecclesia peccatorum remissionem impetravit, id quod alias bono cum DEO uberius peculiari tractatione explicabitur. Malè hinc, quod de ordinis Divini & Ecclesiastici observatione Augustinus cum aliis Patribus monuit, ad meritum à Papæis Doctoribus trahitur, & in specie quidem Satisfactionis vel Satisfassionis, quod tamen hic nullum posse locum habere ostendetur, ubi de partibus Pœnitentiæ in posterum suo ordine agemus, easq; sub examen ex Augustino vocabimus.

Nunc quod posteriorem attinet Augustini locum, quo Bellarminus vim meritòriam his Pœnitentiæ actionibus adscribi existimat, certum est, agere Sanctum Doctorem, quod ipsa Ejus verba à Bellarmino iterum omissa testantur, de iis, quorum crimina sunt manifesta, adeoq; de publicâ eorum & solenni Pœnitentiâ, quâ à societate Altaris remoti, pœnitendo, id est, variis Pœnitentiæ documentis semetipsum puniendo placare Deum dicuntur, quem peccando contempserant, sicut filius ille nequam, qui Patris bona turpiter dissipavit, coram Eo se humiliando, & facti malitiam deprecando, Patris animum iustè iratum placavit, peccatorum remissionem impetrans, sine omni tamen merito, sine omni Satisfactione vel Satisfassione, solâ Patris gratiâ hic locum habente & obtinente. Insinuat id non obscurè Augustinus ipse, loco per Bellarminum citato, verbis proximè sequentibus: *Nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet, nisi ut id, quod mali fecerit, impu-*

nitum esse non sinat; eo quippe modo sibi non parcenti ille parcat, cujus alium justumq; judicium nullus contemtor evadit. Certè si DEUS in remissione peccatorum homini Pœnitentiam agenti parcat, utique ex gratiâ parcat, non ex merito, & hinc nulla Satisfactio vel Satisfactio hic attenditur. De eâ nunc etiam objectione ut pro *Chemnitii* innocentiam aliquid contra Bellarminum dicatur, quâ sæpè dictas tres Pœnitentiæ partes ex publicæ Pœnitentiæ ritibus esse desumptas observavit *Chemnitius*, eam infringere quidem conatus est Bellarminus hæc instantiâ, quod in Veteri etiam Testamento hæc actiones pœnitentiales fuerint in usu, ritus autem Pœnitentiæ, quæ ad differentiam dicitur, publica demum post Christi adscensionem in Cœlum fuerint instituti; sed nullo planè cum effectu, imò sibi ipsi iterum contradicens. Annon enim Bellarminus supra, ubi contra eundem *Chemnitium* ejusque objectiones demonstrare laboravit, Pœnitentiam esse sacramentum propriè dictum, simul contendit, Sacramentum Pœnitentiæ demum post resurrectionem Domini institutum fuisse, & quod hinc necessariò sequitur, Sacramentum Pœnitentiæ cum omnibus suis partibus & actionibus ad eam pertinentibus esse Sacramentum Novi, non Veteris Testamenti? Quomodo autem nunc in demonstranda antiquitate harum partium & actionum, tanquam essentialium & necessariarum ad impetrandam Absolutionem & peccatorum remissionem, ad Verus provocat Testamentum, quod tamen ex sua mente non habuit Pœnitentiæ Sacramentum? En Bellarminum & hinc heayntimorumenum! Præterea, qui ausus fuit Bellarminus scribere, ritus publicæ Pœnitentiæ, id est, ipsam Pœnitentiam publicam, post Christi adscensionem in Cœlum cœpisse demum, cum de Pœnitentiâ in Vet. Testamento publicâ testari possint omnia ea Sacrificia, quæ pro peccatis singularium, sive ex ordine Sacerdotum, sive ex ordine Procerum politicorum, sive etiam ex ordine populi vel vulgi, DEI mandato offerri debebant, non certè sine ritibus quibusdam, & externis quoq; testimoniis animi pœnitentis, & de peccato dolentis, ad quorum imitationem novi etiam Testamenti Ecclesia in recipiendis, quorum crimina erant manifesta, pœnitentibus, iisque cum DEO reconciliandis, voluit uti certis quibusdam ritibus, & in oculos omnium incurrentibus, non ut aliquod meritum his actionibus adscriberent, quæ & DEI in Testamento Veteri circa similes ritus Sacrificialis mens non fuit, sed partim ut ipsi pœnitentes per eas ad majorem peccati agnitionem ejusque detestationem ducerentur, inq; posterum cautius mercari discerent, partim quoque, ut alii hæc ratione à talibus scandalis & flagitiis enormibus absterrentur. De cætero facillimum est demonstratu, quod Bellarmino tamen difficile nimis, si non impossibile omninò, fuit visum, has Pœnitentiæ actiones, quæ hodiè pro essentialibus & maximè necessariis Sacramenti Pœnitentiæ partibus venditantur, & à quibusvis in univèrsum pœnitentibus pro impetranda Absolutione, & peccatorum remissione rigorosius requiruntur, utpotè sine quibus vera non possit esse Pœnitentiæ, à publicæ, non autem privatæ Pœnitentiæ ritibus esse desumptas, quia nimirum non in privatæ, sed publicæ potius Pœnitentiæ per circumstantias non unas descriptione earum mentio occurrit, quod, ut dixi, suo tempore plenius integro tractatu ostendetur.

Nunc postquam in genere partes Sacramenti Pœnitentiæ à Synodo Tridentinâ sub anathematis fulmine commendatas ex Augustini autoritate proscriptissimas, Bellarmino testimoniis ex Eo adductis non stante, super adhuc est, ut partes Pœnitentiæ ad Evangelicorum Sententiam, imprimis verò Fidem salvificam, ex Augustino exhibeamus, ad eò que Eum & hic à nostris stare partibus ostendamus. Audiemus autem ejus mentem, quam auditoribus suis in explicatione Psalterii sæpiùs exposuit, eò plus apud Papæos valiturâ, quò majori industria non ita pridem *Lovanenses* eam ad Exemplaria manuscripta castigatam iteratò typis publicaverunt, ac quibusvis Augustini discipulis tanquam insigne pietatis & doctrinæ Augustinianæ specimen commendarunt. Ad hominem igitur quasi disputantes videbimus, quanti Doctor augustissimus Fidem in actu Pœnitentiæ & Conversionis ad DEUM fecerit, quantamq; vim & efficaciam ei adscripserit, nulla planè factâ mentione earum partium & actionum, quas à Papæis ad Pœnitentiæ Sacramentum ita dictum requiri tanquam necessarias & essentielles diximus. Et quidem ad Regii Psalteris verba, Injustitia tua erue me, sequentia notavit Sanctus Pater, mentem pœnitentis ad DEUM oratoris hæc paraphrasi explicans & illustrans: *Si attendas ad justitiam meam, damnas me; in tuâ justitiâ erue me.* Addit: *Est enim justitia Dei, que & nostra sit, cum donatur nobis. Ideò autem de justitiâ (Lovanenses legunt rectius, DEI Justitiâ:) dicitur, ne homo putet, se à seipso habere justitiam. sic enim dicit Apostolus Paulus, credenti in Eum, qui justificat impium, (Quid est, qui justificat impium? qui ex im-* Rom. 4.

pio facit justum:) deputatur fides ejus ad Justitiam. Pergit post aliqua ex Sententiâ Davidis coram DEO pœnitentis: *In tuâ Justitiâ erue me. Quia in me non invenisti Justitiam meam, erue me in tuâ. Hoc est, illud me eruat, quod me justificat, quod ex impio pium facit, quod ex iniquo justum, quod ex cæco videntem, quod ex cadente surgentem, quod ex fletu gaudentem. Hoc me liberat, non ego. In tua Justitiâ erue me.* Nulla hic mentio propriæ Satisfactionis vel Satisfactionis, nulla propriæ, quam sibi metipso denegat, sed Divinæ solùm Justitiæ, per veram Fidem applicatæ, vel adhuc applicandæ, quâ se & non aliâ coram DEO justum & justificatum, vel justificandum & justum fieri desiderat Regius Plâtes

in Psal. 20. ex augustissimi Doctoris Sententiâ, quam ad eadem verba alibi & aliâs occurrentia iisdem penè verbis repetiit, scribens: *In tuâ Justitiâ erue me. Non in mea, sed in tua. Si enim in meâ, ero ex illis, de quibus ille ait, ignorantes DEI Justitiam, & suam volentes constituere, Justitiæ Dei non sunt subjecti. Ergo in tuâ Justitiâ, non in meâ; quia, mea quid? processit iniquitas. Et cum ero justus, in tuâ erit Justitiâ; quia Justitiâ abs te mihi data justus ero, & sic erit mea, ut tua sit, id est, abs te mihi data. In cum enim credo, qui justificat impium, ut deputetur Fides mea ad Justitiam. Erit ergo & sic Justitiâ mea, non tamen tanquam propriâ meâ, non tanquam à meipso mihi data, sicut putabant, qui per literam gloriabantur, & Gratiâ respuebant.* Alibi Sanctus Pater expressè confessioni peccatorum denegans vim meriti, Fidem in impetrandâ eorum remissione ita commendavit: *Quid in Ps. 110. magnificentius, quam justificare impium? Sed opus fortasse hominis prævenit istam DEI magnificentiam, ut cum fuerit peccata confessus, justificari mereatur. Descendit enim de Templo justificatus Publicanus magis, quam ille Phariseus, quia nec oculos ad Cælum audebat levare, sed percutiebat pectus suam, dicens: DEUS, propitius esto mihi peccatori. Hac est magnificentia Domini, justificatio peccatoris; quoniam, qui se humiliat, exaltabitur, & qui se exaltat, humiliabitur. Hac est magnificentia Domini, quoniam, cui plurimum dimittitur, plurimum diligit. Hac est magnificentia Domini, quoniam, ubi abundavit peccatum, superabundavit Gratia. Sed fortasse ex operibus, (iusque vel Satisfactionis, vel Satisfactionis?) Non, inquit, ex operibus, ne forte quis extollatur; Ipsius enim sumus signum, creati in Christo in operibus bonis. Justitiâ homo non operatur, nisi justificatus; credens autem in Eum, qui justificat impium, à Fide incipit, ut bona opera, non procedentia, quod meruit, sed consequentia, quod accepit, ostendant. Unde ergo illa Confessio? Nondum opus est Justitiæ, sed delicti improbatio. Sed quoquo se habeat modo, nec in ipsâ de re homo gloriatur, ut, qui gloriatur, in Domino gloriatur. Quid enim habes, quod non accepisti? Non potuisset magis expressè Augustinus Evangelicorum de Fide, Pœnitentiâ primariâ parte, Sententiâ, contra operum pœnitentialium merita exhibuisse, modo studiosius Veritatis Sæcator sine omni præjudicio hæc expendat, adq; animum attentus vocet. Sed & ex ejus Psalmi Enarratione, undè Bellarminus ternarium ostendere voluit, frustra quamvis, in*

in Ps. 146. promptu est pro Fide testimonium: *Hoc pignus accepit Spiritus noster, ut incipiamus Fide DEO servire, & ex Fide justî adpellari, quoniam justus ex Fide vivit.* Plura his similia Augustini testimonia, præsertim in Enarrationibus Psalmorum pœnitentialium occurrentia, non adduco, his de mente Sancti Doctoris sufficienter testantibus, quibus unicuique nunc ex libro de vera & falsa Pœnitentiâ sub Augustini nomine non semel à Papeis laudato placet subjungere, omnium expressissimè, Evangelicorum Sententiâ exhibens? *Si Fides fundamentum est Pœnitentiæ, præter quam nihil est, quod bonum sit, ad pœnitentiâ facere. Pœnitentiâ itaq; quæ ex Fide non procedit, utilis non est. Oportet autem crediti, remedium Pœnitentiæ à Salvatore concedi. Ubi notandum, Authorem hujus Sententiæ non ex dubiis, sed ex concessis pro Pœnitentiâ agenda argumentari, non tanquam incertum, sed quasi liquidum præsupponens, Pœnitentiâ in Fide fundatam esse, eamq; quæ ex Fide non procedit, inutilem esse, quo iterum nihil magis apertum pro Evangelicorum Sententiâ dici aut scribi potuit.*

LIBRI SECUNDI DE POENITENTIA CAPVT DVODECIMVM,

De Quæstione

An Contritio sit causa remissionis peccatorum?

HUic Quæstioni controversæ sex alias præmittit Bellarminus, quarum prima est, An Contritio sit actus bonus & liber, & num ad Legem, an ad Evangelium pertineat? *secunda,*